

DE STATU, ET CONDITIONE BONARUM
animatorum post mortem.

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ-QUINTÆ SYNOPSIS.

Viventum peculas animis prodeesse quibusdam,
Si tamen hoc ipsum promeruere prius.

Sic incipit : Præterea sciendum est.

Sic terminat : Qui suffragiis Ecclesiæ juvantur.

1. COnnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de qualitatibus resurgentium , eisque omnibus ad resurrectionem pertinentibus; sed in præsenti determinat de resurgentium remuneratione, præmio quippe, & pœnâ, quibus post mortem homines afficiendi sunt : ergo recte inter se hæ cohærent distinctiones.

2. Consequentia probatur : Præmium, & pœna, quibus hominum merita, & demerita rependenda sunt post mortem , necessariò præsupponunt eorum resurrectionem, juxta illud, reddit unicuique secundum opera ejus ; sed Magister in superiori distinctione egit de qualitatibus resurgentium , eisque omnibus ad resurrectionem pertinentibus : ergo modo in præsenti determinare de justâ remuneratione præmii, vel pœnæ, secundum quod referunt meritum , aut demeritum , reverâ est rectum servare ordinem.

3: Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quaram primâ ostendit Magister , qualiter animæ decedentes è corporis ergaſtulo , quâm citò ad diversa receptacula transeant , secundum sua merita , vel demerita. In secundâ verò declarat , quomodo suffragia Ecclesiæ , & fidelium prosint animabus justorum. In tertîâ autem , & ultimâ statuit , quomodo beati in patriâ pro nobis preces coram Domino fundant.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ indagine, hoc primum præfigitur theorema : Quamprimum animæ à suis separantur corporibus, illi-
co pro suorum meritorum mercede ad diversa transeunt receptacula. De
hoc

hic ergo animarum recessu à corporibus , in duplice alloquitur sensu in conclusione Magister. Primò, ab instanti mortis ad resurrectionem generalem mortuorum usque. Secundò , ab ipsâ resurrectione , sive post judicium universale. His sic obiter prælibatis.

5. Probat primò assumptum Magister ex Augustino tract. 49. sup. Joan. dicente : Omnes animæ , cum de hoc faculo exterint , diversas ha-
bent receptiones. Bona habent gaudium ; mala verò tormenta ; sed dum ex animabus ab hoc quamprimum emigrantibus sæculo, bona habeant gaudium , mala vero tormenta , protinus omnes ad diversa transeunt receptacula : igitur animæ , illico à recessu corporum , in sua loca con-
fugiunt , quatenus unaquæque præmio , vel pœna digna censetur.

6. Secundò ex eodem Augustino in Enchir. cap. 109. probat iis expressis verbis : Tempus , quod inter hominis mortem , & ultimam re-
surrectionem interpositum est , animas abditis receptaculis continet , sicut unaquæque digna est vel requie , vel arumna. Ergo quia animæ ab instanti mortis ad ultimam resurrectionem usque, in abditis continentur receptaculis , prout unaqua que bene , aut male in hâc vitâ se gesit.

7. Tertiò etiam suaderi poterat ex illo Lucæ cap. 16. Mortuus est dives , & sepultus est in inferno. Et paulò post : Ne veniant in locum hunc tormentorum. Sed locus , sive damnatorum receptacula est infernus , qui verè est tormentorum locus : ergo reproborum animæ subito à corporum recessu in sua configiunt loca , sive receptacula , infernum quippe , qui verè ab omnibus autumatur tormentorum locus.

8. Quartò ratione deducitur ex appositis probatio : A mortis instanti hominum confert Deus eorum animabus poenam , aut gloriam , prout bene , aut male in hâc mortalium vitâ unaquæque se gesit: ergo necessariò sunt eis assignanda loca aliqua , sive receptacula , in quibus morentur usque ad universale judicium , experiamurque ibi præmium , aut supplicium ; sed post Christi Domini primum adventum , animarum receptacula sunt paradisus , infernus , lymbus , & purgatorium: ergo illico à mortis punto defunctorum animæ in hâc se recipiunt loca , pro eo quod unaquæque digna sit poenâ , vel requie , quatenus fortita est in carne dum adhuc in vivis ageret.

9. Sed oppones : Ab instanti mortis ad ultimam resurrectionem usque, animæ continentur in abditis receptaculis pro eo quod unaquæque sortita est in carne dum viveret: ergo post resurrectionem ultimam , aut alia erunt receptacula pro animarum sorte , aut prima omnino deficient. Non secundum , alias Cœlum , & infernus in nihilum abirent: ergo alia post resurrectionem generalem assignari debent habitacula distincta ab his , quæ modo extant.

Ref.

10. Respondeatur, quod licet receptacula animarum modo dicantur abdita, non ideo alia nova post judicium sunt à Deo constituenda, sed eadem erunt ante, & post judicium. Hæc etenim, quæ modo abdita, & incognita sunt nobis, post judicium, & resurrectionem erunt omnibus manifesta, & nota. Et ratio præcipua est, ut fides locum habeat, quæ est de non visis; unde meremur, dum fidem de Cœlo, & inferno habemus, cum jam non videamus, juxta illud Joannis 20. Beati enim, qui non viderunt, & crediderunt. Post judicium verò non erit fides, sed evidētia; proindeq; receptacula illa omnibus innotescerunt.

11. Ex his dedit Magister, quod peractâ generali mortuorum resurrectione, peccatoribus poena, justis verò augebitur gloria. Quod etiam ipsius Augustini corroborat testimonio sup. i. ad Thessal. cap. 4. sic alloquentis: Sed cum facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. Ergo sicut expletâ ultimâ mortuorum resurrectione, poena malorum accrescit; ita gloria, seu ingens beatorum gaudium plus perficietur.

12. Idipsum ratione illustratur: Peractâ omnium universali resurrectione, unicuique in propriâ carne, prout in hâc vitâ se gessit, sive secundum opera ejus reddet Dominus poenam, & gloriam; sed ab instanti mortis ad resurrectionem generalem usque, non in corpore, sed in animâ solùm receperunt mercedem suam, gloriam quippè, sive poenam: ergo cum utraque post judicium finale debeat redundare in resurgentium corpora, in quibus illam antea experti non sunt, hinc est, quod peccatoribus poena, justis verò augebitur gloria.

13. Sed dices: Gaudium beatorum ex visione beatâ consequitur, eò quod sit unum ex ejus præcipuis attributis; sed visio beata tota tribuitur animæ, & non corpori: ergo si animæ sunt in statu comprehensionis, completæque visionis, quemadmodum post judicium finale erunt, non est ex quo earum gaudium sit augendum: ergo perperam statuitur à Magistro, quod beatorum gaudium erit intensius in resurrectione, & post, quam fuerit ante.

14. Respondet negando Minorem, & duplarem Consequentiam. Quia estò gaudium, quod ex visione, & fruitione beatâ consequitur, non augeatur intensivè post ultimam mortuorum resurrectionem; tamen extensivè augetur, eò quod gloria, sive beatorum gaudium in eorum fœlicissima corpora perfundatur. Unde, cum beatorum corpora à generali mortuorum resurrectione, & non antea sint dotibus glorioſis ditata, ideo bene sustinet Magister, quod beatorum gaudium erit

erit majus extensivè à resurrectione, & deinceps, quam fuerit ante. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

15. PRO SECUNDÆ verò partis ostensione, hoc secundum statuitur theorema: Illi, de orationibus, suffragiis, eleemosynisque Ecclesia, & fidei in suis receptaculis hoc lucrum reportant, qui hic, talia, ut eis profissent, meruerunt. Hoc firmat Magister primò Divi Augustini auctoritate in Enchir. cap. 10. sic alloquentis: Negandum non est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatori offertur, vel eleemosyna fiunt in Ecclesia. Sed hæc eis tantum profunt, qui cum vivent, hæc sibi, ut postea possint professe, meruerunt. Ergo defunctorum animæ, quæ puniendæ sunt, juvari poterunt per Ecclesiæ suffragia, fideliumque eleemosynas, illæ scilicet, quæ in præsenti vitâ, ut juvarentur, meruerunt, quælibet modo suo.

16. Sed ut rem hanc exactius, profundiusque perpendat Magister, triplicem animarum differentiam statuit in textu litterâ. Aliæ enim sunt valde bonæ, ut quæ de corpore egredientes, illicò recipiuntur in Cœlum: Aliæ verò sunt summè malæ, illæ quippe, quæ corporibus exuta, statim in infernum detrahuntur: Aliæ demum sunt mediocriter bona, quæ etiæ prædestinatae sint ad gloriam, indigent tamen purgari temporali poenâ, antequam visione, & fruitione beatâ potiantur; hæcque ab instanti recessu à corpore, reverâ ad purgatorium configiunt; sed ex hoc triplici animarum statu clarè deducitur, quod nec primæ, nec secundæ animarum differentiæ, sed tertia tantum proficiant Ecclesiæ, fideliumque eleemosynæ, orationes, & suffragia: ergo.

17. Minorem sic detegit, probatque Magister quoad primam partem. Illæ animæ suffragiis Ecclesiæ, sive fidelium eleemosynis juvari non indigent, quæ nullâ egent purgari poenâ; imopotius à separatione corporis statim in Cœlum evolant; sed animæ valde bonæ nullâ egent purgari poenâ, eò quod quamprimum egrediuntur è corpore, recipiantur in cœlestem paradisum: ergo hæc prima animarum differentia suffragiis Ecclesiæ, sive fidelium eleemosynis, & orationibus fulciri non indiget.

18. Quoad secundam verò partem etiam probat Minorem Magister: Illæ animæ eleemosynis, & orationibus fidelium, necnon Ecclesiæ suffragiis indigent, sed tamen illis juvari non possunt, quæ à mortis instanti ad æternam damnationem è vistigio transeunt; sed damnatorum animæ corporibus exta statim in infernum mittuntur: ergo hæc secunda animarum differentia licet Ecclesiæ, fideliumque oratio-

nibus, eleemosynis, & suffragiis indigeant; tamen ipsis juvari nullatenus possunt, cum nulla sit in inferno redemptio.

19. Eadem Minorem quoad tertiam partem etiam similiter probat Magister: Animæ illæ indigent, & juvari possunt orationibus, & suffragiis Ecclesiæ, & fidelium, quæ etsi prædestinatae ad gloriam existant, tamen pœnâ aliquâ temporali, priusquam beatitudine potiantur, egent purgari; sed animæ mediocriter bona, estò de suâ æternâ salute sint securæ dum è corporibus migrant, tamen aliquâ indigent purgari temporali pœnâ: ergo suffragiis Ecclesiæ, fideliumque eleemosynis, & orationibus hæc tertia animarum differentia indiget, juvariique potest.

20. Unde consentaneè iis deducit Magister, quòd ea suffragia, quæ pro primis offeruntur, cum ipsis non proficiant, nec ab eis juvari possint, solum conferunt in gratiarum actionem. At, quæ pro secundis exhibentur, eò quòd illis indigeant, quanvis ipsis non prodeant, sunt in viventium solatium. Demùm, ea vota, & suffragia, quæ pro tertiiis, sive purgatorii animabus applicantur, sunt in propitiationem, cum illis indigeant, simulque ad eis auxilium valeant fortiri.

21. Tertiò in theorematis tutamen sic prosequitur Magister: Quod ex traditione, usuque universalis Ecclesiæ dignè, & laudabiliter extat à fidibus receptum, haud dubiè ab omnibus est credendum; sed quòd animabus defunctorum, quæ pœnâ aliquâ temporali purgari indigent, sint Ecclesiæ, fideliumque suffragia valdè proficia, est ab omnibus receptum ex inconcussâ traditione, & usu universalis Ecclesiæ: ergo orationes, eleemosynæ, & suffragia Ecclesiæ, & fidelium profunt defunctorum animabus, qui ita vixerunt in mundo, ut possint hæc utilia esse post mortem.

22. Quarto ex Augustino in litterâ lib. de verb. Apost. serm. 17. *Injuria est pro Martiye orare in Ecclesia, cuius nos debemus orationibus commendari; pro aliis autem defunctis oratur.* Ergo ideo injuria est, pro Martyribus in Ecclesiâ orare, quia nec suffragia ipsis proficiunt, nec eis indigent; sed aliae defunctorum animæ suffragiis, orationibus, & fidelium eleemosynis indigent, ipsisque valdè proficiunt pro alicuius temporalis pœnæ solutione, & in Ecclesiâ pro eis orare non est injuria: ergo illi de fidelium, Ecclesiæque suffragiis lucrum reportant in purgatorio, qui in hâc vitâ talia meruerunt, ut illic eis prodecent.

23. Sed dices: Orationes, sive suffragia, quæ pro valdè bonis offeruntur Deo, sunt gratiarum actiones, ut innotescit ex litterâ; sed qui gratias agit Deo pro Martyribus, nullam ipsis præstat injuriam;

er-

ergo nulla injuria irrogatur Martyribus dum in Ecclesiâ pro eis oramus, suffragiaque pro ipsis offerimus Deo.

24. Confirmatur: Quod licet nobis desiderare, reverâ fas est nobis petere; sed Martyrum honorem, omniumque Sanctorum religiosum cultum licet nobis desiderare: ergo & orare in Ecclesiâ pro ipsorum honore erit nobis licitum; sed dum hoc censetur nobis licitum, nulla est injuria pro Martyribus orare in Ecclesiâ: ergo pro Sanctis, aliisque valde bonis possumus sacra libamina in Ecclesiâ offerre, precesque pro eis coram Domino iteratò fundere.

25. Respondetur, Augustinum in litterâ perbellè negare non esse nobis licitum, imò valdè indecorum Sanctis, Martyribusque, ut pro ipsis in Ecclesiâ Deo preces, & orationes fundantur. Nam, tunc pro alicuius salute exoramus, dum de illius assequitione nobis profectò non constat: Cùm ergò de salute æternâ, beatitudineque perfectâ, & consummatâ Martyrum nulli dubitare liceat; sic nec pro eis orare. Qui enim orat pro Sanctis, videtur præsumere, quòd non sint in æternâ gloriâ; proindeque ipsis injuriam irrogat. Tunc demùm orationes, quas Deo in Ecclesiâ pro salute alicuius offerimus, dicuntur gratiarum actiones, quando Ecclesia de illius salute probabiliter dubitare potest.

26. Ad confirmationem ferè idipsum cum Augustino respondetur. Quia non censetur, nos illicitas tentare vias, dum honorem, cultumque Martyrum, aliorumque Sanctorum peroptamus; quia dum hoc petimus, non ipsis Sanctis petimus; sed petimus nobis, ut innotescat eorum virtus perfecta, excelsumque meritum, sitque nobis affectio bona ad laudem divinam, sive ipsorum. Si autem aliquis insitat, hoc vere esse pro Martyribus exorare, dicimus, Augustinum non sic esse capiendum, cum, juxta ejus augustissimum sensum, orare pro aliquo, sit petere ejus salutem, sive accelerationem salutis, quod sic non congruit Martyribus.

27. Quintò tandem ex ipsius Augustini jam allegati doctrinâ probatur: Impium, nefandum censetur, credere sacra Ecclesiæ libamina pro defunctorum animabus oblata esse ficta, simulata, & vana; sed dum vana, & simulata Ecclesiæ libamina pro defunctis non creduntur, vera, & efficacia arbitrantur: ergo cùm ea suffragia maximè commendet Ecclesia pro defunctorum animabus, nullus è Catholicorum agmine ambigere poterit, quin ipsis proficiant.

28. Sed oppones: Sacrificium altaris est unum ex septem Sacramentis Ecclesiæ; sed Ecclesiæ Sacraenta non prosunt homini nisi in statu meritorio, & viatoris: ergo sacra Ecclesiæ libamina, sive altaris

Tom. V.

Aa

sa-

sacrificia non prosunt defunctionum animabus , quæ sunt extra viæ meritique statum : ergo si alia Sacra menta non sunt animabus post mortem proficia , unde est , quod hoc altaris divinum Sacramentum animabus proficiat?

29. Respondetur negando Consequentiam. Nam Sacramentum altaris aliter vivis , aliter mortuis proficuum censetur. Vivis enim est utile sub ratione Sacramenti , & cibi ; mortuis vero prodest sub ratione sacrificii. Quatenus est Sacramentum , cibat , confertque gratiam , & perfectionem manducanti ; quatenus autem est sacrificium , Deum placat , ut poenarum acerbitatem animabus inflictam remittat.

30. Unde Sacra menta alia defunctis non prosunt , præter altaris Sacramentum ; quia illa respiciunt actum in personâ , vel circa personam , ut liquet in baptismo , quod nemo baptizari potest , nisi qui praestò est in salutarem aquam demergi : At sacrificium est actus pro persona , ideoque pro aliis applicari potest ; quemadmodum Christus Dominus obtulit se Patri pro illis , qui fuerunt , & qui futuri sunt ; sic similiter Sacramentum , sive altaris sacrificium prodest animabus defunctionum , qui ex hac migrarunt vita.

31. Postea Magister , ut textus litteram amplius exornet , alia his consona subjungit , nempe , funerales pompas , præclaraque mausolea ad animas defunctionum nihil conferre , sed solum ad vivorum solatium. Quod primò probat Magister Divi Augustini conspicuâ authoritate lib. de curâ pro mort. cap. 2. dicente : *Pompa funeris , agmina exequiarum , sumptuosa diligentia sepultura , vivorum sunt qualia quæ solaria , non adjutria mortuorum.* Ergo fastus , & pompæ , quæ passim sunt in exequiis , solum ad vivorum solatium , non autem ad mortuorum suffragium aliqualiter conferunt.

32. Secundò probat speciosâ ratione : Nam si sepulcrum preciosum aliquid prodest impio , obserit pio ville , & abjectum ; sed oppositum deprehendimus in divite purpurato , & Lazaro mendico , ut expressè constat ex Lucâ cap. 16. ergo quia funerales pompæ , præclaraque & sumptuosa mausolea nihil juvant defunctionum animas. Minorem probat : Nam dives sepultus est in inferno , Lazarus autem in sinu Abrahæ : ergo quia sepulcrum pretiosum nihil prodest impio ; ac proinde funerales pompæ potius ad vivorum solatium , quam ad mortuorum suffragium proficiæ arbitrantur.

33. Sed oppones : Funerum pompæ , & magnifica mausolea ad mortuorum suffragia nihil conferunt ? ergo nullas debemus impendere curas in his , quæ ad sepulturam spectant ; sed mortuos sepelire , mau-

soleaque extruere , inter bona opera computantur tum à sacra Scriptura , tum à Sanctis Patribus , ut claret de corporibus Patriarcharum , & præsertim de ipsis Christi Domini Corpore ; nam qui ista fecerunt , maximis celebrantur encomiis : ergo quia funerales pompæ , præclaraque & magnifica mausolea multum conferunt ad juramen animarum defunctionum.

34. Respondet Magister negando primam , & ultimam Consequentiam. Quia , etsi funerum pompa , & magnifica mausolea non sint in defunctionum animarum subsidium ; tamen decentem curam defunctis exhibere , laudabile est , & pius , eò quod conferat ad pietatem , & lenitatem miseroris viventium : Ast ea , quæ adjuvant spiritus defunctionum , scilicet oblationes , orationes multò observantius procurent.

35. Præterea , duo ad rem hic proponit dubia Magister. Primò , an ex duobus cum æquali merito , & demerito defunctis , altero divite , pro quo plura specialia offeruntur suffragia ; altero paupere , pro quo nulla specialia , sed communia tantum oblata sunt , æqualiter conferant in amborum juvamem ? Et duplice respondet viâ Magister , pro plena dubii solutione.

36. Primò , quod tantum prosunt sola generalia suffragia pauperi ad solutionem poenæ , quantum generalia , & specialia sunt diuini proficia ad eandem solutionem. Quod satis claret : Nam suffragiorum applicatio pro poenarum solutione fit à Deo iuxta merita hujus vitæ ; sed merita hujus vitæ æqualia ponuntur in paupere ac divite : ergo tantum prosunt sola generalia suffragia pauperi , quantum generalia , & specialia diuini pro poenarum solutione.

37. Secundò , alia respondet viâ Magister , quod dives non erit ampliori gloria mercede remunerandus , quanvis sit celeriori absolutione purgandus. Quod etiam liquet : Nam merces gloriae solum secundum merita confertur ; solutio verò temporalis poenæ fidelium suffragiis acceleratur ; sed poenarum temporalium solutio celeriori cursu properat , dum pro ea suffragia generalia , simulque specialia applicantur , quam dum solum generalia , & non specialia offeruntur : ergo si pro divite generalia , simulque specialia offeruntur ; & pro paupere generalia solum , & non specialia , revera pro poenarum solutione non ipsis æquè proficient suffragia , quanvis pro æqualitate mercedis gloriae conferant.

38. Secundum dubium sic à Magistro proponitur : An , qui suffragiis indigent , & morientur in ipso consummationis sæculi articulo , quandò ulterius suffragia impendi non poterunt , utrum tales salvabuntur ?